

M. Luther, Genesisvorlesung, hier ad Gen 12,3 (1537), WA 52, 446-451

[Seite 447]

[5] [12, 3^b] Et benedicentur in te omnes familiae terrae.

[6] Hactenus promisit Dominus corporalia beneficia. Nam etsi haec recte [7] spiritualia dicuntur, quod Deus in hoc populo habitavit, quod se patefecit [8] per signa, per miracula, per verbum suum in prophetis sanctis, tamen huius [9] corporalis vitae beneficia fuerunt.

[10] Sed nunc sequitur illa aureis literis scribenda et omnium linguis [11] celebranda promissio, quae aeternos thesauros offert. Non enim potest intelligi [12] corporaliter, quod sicut superiores benedictiones, in hoc tantum populo [13] mansura sit. Si autem, ut verba clare probant, effundenda haec promissio [14] est in omnes gentes, seu familias terrae, quem dicemus alium, hanc benedictionem [15] in omnes gentes distribuisse, praeter filium Dei Dominum nostrum [16] Iesum Christum?

[17] Sententia igitur simplex, vera et invertibilis haec est: Audi Abraham, [18] Magnifice promisi tibi et posteritati tuae, sed hoc nondum satis est, etiam [19] tali benedictione te ornabo, quae ad omnes familias terrae redundabit etc. [20] Hanc promissionem Abraham pulchre intellexit. Sic enim ratiocinatus est. [21] Si omnes familiae terrae per me benedicendae sunt, necesse est hanc benedictionem [22] non consistere in mea persona. Ego enim non vivam. Deinde [23] ego per me non sum benedictus, sed mihi quoque contigit benedictio per [24] misericordiam Dei. Igitur propter meam personam, vel mea virtute non [25] benedicentur omnes populi. Hoc autem futurum est, ut ex mea posteritate [26] enascatur, qui per se benedictus afferat benedictionem, tam longam et latam, [27] quae ad omnes familias terrae pertingat. Hunc necesse est Deum esse, non [28] hominem tantum, quanquam homo futurus, et carnem nostram assumpturus [29] sit, ut vere sit semen meum.

[30] Ad has sancti Patriarchae cogitationes sine dubio respexit Christus, [31] [Joh. 8, 56] cum dicit, Iohan[n]is 8: ‘Abraham, pater vester, exultavit, ut videret diem meum, [32] et vidit, et gavisus est’. Quod igitur dicit: ‘Omnes familiae terrae’, non in [33] latitudinem tantum intelligendum est, de familiis unius temporis, sed in [34] longitudinem, donec mundus steterit, et prorsus convenit cum sententia [35] [Mark. 16, 15f.] Christi: ‘Ite, praedicate Euangelion omni creaturae. Quicumque crediderit, [36] et baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur’. [37] Ergo haec benedictio nunc duravit annis sesquimille, et durabit usque ad finem [38] mundi. Frustra renitentibus et furentibus portis inferorum, Tyrannis et impiis.

[39] Notandum autem imprimis est, quod non dicit futurum, ut omnes [40] gentes confluant ad Iudaeos et fiant Iudaei, sed dicit benedictionem, quam

[Seite 448]

[1] hic populus habiturus est, ex hoc populo in gentes transferendam, hoc est, [2] in eos qui non sunt circumcisi, qui Mosen et eius statuta nesciunt.

[3] Recte igitur opponimus benedictionem hoc in loco maledictioni, sub [4] qua omnes homines sunt propter peccatum, quod per Christum sublatus [5] est, et benedictio translata in omnes, qui eum amplectuntur, et credent in [6] nomine eius. Hoc illud memorabile beneficium, quod liberati a peccato, a [7] morte et Tyrannide diaboli, associamur Angelis Dei, et participes efficimur [8] aeternae vitae.

[9] Ex hac promissione fluxerunt omnes Prophetarum conciones de Christo [10] et regno eius, de remissione peccatorum, de donatione spiritus sancti, de [11] Ecclesiae conservatione et gubernatione, de poenis incredulorum etc. Nam [12] has viderunt consequentias inde certo connecti: Si semen Abrahae hoc faciet, [13] necesse est, ut sit naturalis et verus homo: contra, si etiam alios, et quidem [14] omnes familias terrae benedicet, necesse est, ut etiam maius aliquid sit, [15] quam semen Abrahae. Quia semen Abrahae propter peccatum hac benedictione [16] indiget.

[17] Ita mysterium incarnationis filii Dei, in tam brevia et simplicia verba [18] involvit spiritus sanctus, quae postea sancti Patriarchae et Prophetae in [19] concionibus suis latius evolverunt, quod per filium Dei totus mundus liberandus, [20] infernus et mors destruenda, lex abroganda, peccata condonanda, et [21] aeterna salus ac vita gratis credentibus in eum donanda sit. Hic est dies [22] [Joh. 8, 56] Christi, de quo concionatur in Ioanne, quem Abraham oculis corporeis non [23] vidit, sed vidit spiritu, et gavisus est. Carni enim haec invisibilia, impossibilia [24] et ideo incredibilia erant.

[25] Hic locus non solum utilis est ad docendum et exhortandum, sed etiam [26] valet contra perfidiam Iudaeorum. Quia enim Deus promittit Abrahae benedictionem [27] corporalem, quod posteri eius sint magna gens futura, ipsi sane [28] pronuncient de se, an hodie sint benedicta et magna gens. Quod si ipsa [29] res cogit eos pronunciare, quod et afflicta et exigua turba sunt, quid aliud [30] ex hoc ipso loco potest colligi, quam quod aut Deus sit mendax in promissionibus [31] suis, aut quod ipsi errent, nec sint verum Abrahae semen. Sed [32] illud statuere impium est, hoc igitur necessario sequitur. Nam benedictio [33] quid sit, notum est.

[34] Deinde Gens dicitur populus habens Magistratum, Respublicas, Leges, [35] Libertatem. Quid autem simile Iudaei habent hodie? populus hinc inde [36] dispersus, varie oppressus et tantum non, ubicunque vivit captivus. Somniant [37] sibi nescio in qua Babel, et apud Turcas magnam potentiam, et dignitates [38] ac opes. Ac verum est, quod propter prodiones a Turcis foventur. Nam [39] Iudaei, quicquid arcanorum consiliorum ex omnibus aulis Christianorum [40] Principum expiscari possunt, statim id Turcae produnt. Ac magna quorundam [41] principum non solum dementia, sed impietas est, quod Iudaeos tam [42] familiares habent, et sic eos fovent, sed si rem aestimes, etiam ipsis Turcis

[Seite 449]

[1] praedae sunt Iudaei, sicut certo cognovi ex iis, qui non solum Constantinopoli, [2] sed in ipsa Damasco vixerunt, ubi maxima Iudaeorum frequentia est.

[3] Fateantur igitur infoelices Iudaei, aut se non esse verum semen Abrahae, [4] hoc est, versari in errore, et esse sub ira Dei, quod verae religioni adversentur: [5] aut nos urgebimus eos ad blasphemiam, ut statuam Deum mendacem [6] esse, quid enim potest esse medium?

[7] Sicut autem de Benedictione et de magna gente diximus: Ita quoque [8] dicimus de magno nomine, quod Deus promittit se facturum Abrahae. Quale [9] enim habent nomen Iudaei hodie: an non sunt opprobrium omnium hominum? [10] Nihil enim Iudaeis contemptius est, sicut Prophetarum contiones minantur [11] futurum, ut sint in opprobrium et risum omnibus gentibus. Ubi igitur manet [12] magnum nomen? Nonne suo ipsorum testimonio se hoc amisisse dicent? [13] Et tamen necesse est semen Abrahae habere magnum nomen: Non enim [14] mentitur Deus.

[15] Sed huc quoque respice, an benedicantur, qui Iudaeis benedicant, et [16] se cum eis familiariter coniungunt? Exempla ante oculos sunt, non privatorum [17] tantum, sed etiam magnorum Principum, qui de benedictione hac, [18] quam ob familiaritatem cum Iudaeis sentiunt, possunt testimonium dicere, [19] quod et re, et corpore et animo pereant.

[20] [Ps. 109, 11] Sed opponent fortasse Iudaei, quod in Psalmo est: ‘Exugat foenerator [21] universa quae habet, et alieni diripiant bona eius’, et dicent hoc non pati [22] Iudaeos a Christianis, sed Christianos a Iudaeis, notum enim est, quantum [23] damni dent Reipublicae cum immodico foenore.

[24] Sed respondeo, Primum ipsa ratio docet foenus seu usuram esse contra [25] naturam, et ideo vere esse peccatum. Igitur Christiani habent regulam: [26] [Luk. 6, 34] ‘Mutuum dantes, et nihil inde sperantes’. Hanc, qui Christi discipuli sunt, [27] sequuntur, et a foenore tanquam a certo peccato cavent. Ac docet experientia [28] quoque hac ratione partas opes, maledici a Domino, et non durare. Si igitur [29] Iudaei foenus seu usuram benedictionem putant, fruuntur sane ea. Peccatum [30] enim esse constat, et certa annexa est poena huic peccato, sicut scriptura [31] passim docet, et ipsi Iudaei etiam suo ipsorum exemplo comprobant.

[32] Vide enim, an non exuguntur? dum per teruncios corradunt opes, ipsi [33] magno numero vectigalia, tributa et sedium precia pendunt. Ac clementer [34] tamen tractantur a Christianis Magistratibus prae eo, quod a Turcis patiuntur. [35] Hi ne quidem corporibus et vitae parcerent, nisi sentirent prodicionis tanta [36] commoda, ad quas Iudaei instructissimi sunt odio Christianorum.

[37] Sed utut sit, iactent sane opes, glorientur se foenus non dare, sed [38] accipere, quantum hoc est ad illud, quod amisisse se fateri coguntur? [39] Eiecti enim sunt ex terra divinitus donata et benedicta, amiserunt regnum, [40] amiserunt cultum, versantur in densissima caligine, sacrorum oraculorum

[Seite 450]

[8 certas sedes] sedes *Erl. Ausg.*]

[1] intelligentiam non habent: ad summum, spem salutis nullam habent, nisi [2] quod fingunt sibi aliquid de Dei clementia et bonitate. Haec si non cogunt [3] infoelices homines, ut ter miseros esse se fateantur: sint sane beati hoc [4] beneficio, quod aliis cum foenore mutuum dant, et non accipiunt mutuum.

[5] Quanto autem praestabat vicatim petere stipem, quam hoc modo cum [6] peccato parare opes, quas tamen postea alii iterum emungunt? Et sunt huic [7] tam insigni scilicet beneficio, quod

tantopere iactant, infinita et ingentia incommoda [8] annexa. Nusquam habent certas sedes, in odio sunt omnium [9] hominum et contemptu, miserrime vivunt in sordibus et stercoribus. Non [10] admittuntur ad operas honestiores, et quis omnes hostium Christi calamitates [11] enumeret?

[12] Potentissimum igitur hoc argumentum est ad confirmandam nostram [13] religionem ac fidem, et perfidiam Iudaeorum redarguendam, quod quae hic [14] Abrahae promittuntur, omnia amiserunt, ac praesertim quod postremo promittitur, [15] benedictio dimanatura ex semine Abrahae in omnes familias terrae.

[16] Urgentur sane hac ratiocinatione. Ideo nugantur impletam hanc particulam [17] in Salomone, filio David, hunc dicunt benedictum gentibus, hoc est, [18] celebrem fuisse, ac ab omnibus laudatum esse. Sed quid hoc ad textum, [19] quod ab aliis benedictus sit seu laudatus? Hoc enim verba significant, [20] semen hoc allaturum benedictionem ad omnes gentes. Quid autem contulit [21] Salomo gentibus?

[22] Ergo manifeste cogit hic locus, ut fateamur Messiam seu Christum [23] iam olim venisse et exhibitum esse, qui attulit secum in mundum benedictionem [24] spiritualem et aeternam: Hanc cum increduli Iudaei abiicerent et nollent, [25] translata in Gentes est: Iudaei autem infoelices et corporali et spiritali [26] benedictione sunt spoliati. Sicut ante oculos stat eventus. Nunc enim annis [27] circiter sesquimille vivunt in ingentibus calamitatibus, et perpetua captivitate, [28] neque quidquam habent illarum promissionum, de quibus hic Dominus [29] concionatur. Si igitur Deus in promissionibus suis verax est: necesse [30] est, quod ipsi sint mendaces, et per incredulitatem suam exciderint a promissionibus [31] his, neque amplius sint semen Abrahae, cui hae promissiones [32] factae sunt.

[33] In quo errore omnes Iudaei hodie versentur, notum est: expectant [34] Messiam, qui omnes Gentes contundat, et Iudaeis corporale regnum restituat [35] [Esther 8, 10] in omnes gentes. Sicut Assuero factum est. Tum enim magna fuit Iudaeorum [36] potentia et dignitas.

[37] Sed hic praesens locus manifeste redarguit vanam hanc spem. Non [38] enim dicit a semine Abrahae opprimendas gentes, aut redigendas in servitutem: [39] sed benedicendas, hoc est, adiuvandas contra mortem et peccatum. [40] Sed valeat sane Iudaeorum glosa, quod hoc sit benedicere, ita enim

[Seite 451]

[20 maledixit] maledicit *Erl. Ausg.*]

[1] apparebit ipsos in summa benedictione esse, hoc est, a gentibus gravissime [2] oppressos. Diabolus sic loquitur, ut dicat hanc benedictionem.

[3] Deus, sicut bonus est, benedictionem proprie vocat liberationem a [4] maledictione et ira Dei ac promittit hanc obventuram per Abrahae semen, [5] non solum posteritati Abrahae, sed omnibus familiis terrae. Hanc benedictionem [6] attulit ad nos filius Dei Iesus Christus, natus ex semine Abrahae, ex [7] virgine Maria: Quia autem incredula Synagoga eam noluit, elongata est ab ea, [8] et non solum hanc aeternam benedictionem amisit, sed etiam illas priores [9] corporales, ut omnibus appareat, maledictam et sub ira Dei positam gentem esse.

[10] Varie igitur hic locus nobis utilis est, atque ideo dignissimus, qui [11] observetur a studiosis sacrarum literarum. Non enim solum graviter refutat [12] pertinaces Iudaeos: nec solum pingit personam Abrahae, in quam omnes pii [13] intueri debent, ut exemplo eius discant credere: sed etiam cum Abrahamo [14] successum et fortunam totius huius populi: imo Ecclesiae totius usque ad [15] finem mundi describit. Quicquid enim in Ecclesia geretur usque ad mundi [16] finem, et quicquid in ea hactenus gestum est, virtute huius promissionis, [17] quae adhuc durat et vivit, est gestum, et geretur.

[18] Igitur si paucis verbis historiam Ecclesiae complecti libet, a tempore [19] Abrahae usque ad hunc diem, hos quatuor versus diligenter inspice: videbis [20] benedictionem, videbis etiam maledicentes, sed his vicissim maledixit Deus, [21] ut penitus perirent: Ecclesiae autem aeterna benedictio mansit inconcussa. [22] Convenit igitur hic locus cum prima contione de semine conterente caput [23] serpentis. Non enim Ecclesia caret hostibus, affligitur et gemit: et tamen [24] per semen vincit, ac triumphat tandem in aeternum contra omnes hostes suos.

[25] Sicut autem supra de morsu serpentis praemonuit: ita hic admonet [26] futurum, ut semen Abrahae habeat, qui maledicant. Sed levis haec iactura [27] est, si a mundo et diabolo pungamur, cum habeamus Angelos, imo Deum [28] ipsum benedicientem nos, et conterentem adversarios. Sed haec huius loci [29] explicatio in Prophetis quaerenda est. Hic enim fons est, unde tum consolationes [30] tum comminationes omnes hauserunt. Merito igitur admiramur [31] divinam sapientiam, quod tam magnae res, et omnium saeculorum, quod ad [32] Ecclesiam attinet, historia, tam paucis verbis hoc in loco compraehensa est.